



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 37. Binæ Pontificis Bullæ hac super caussa

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV.
A. C. 1486.

§. XXXVII.

*Binae Pontificis Bullæ hæc super
caussa.*

*Id. ib. p. 316.
& 317.*

Innocentius VIII. Pontifex maximus comperta dissensione, quæ inter Parisiensem Episcopum, & Facultatem Theologicam exorta esset, hanc causam in se suscepit, binasque Bullas edidit. Earum prima hoc anno die sexta Decembris data, & Joanni Coffart Vices gerenti, & ultramontano hæreticæ pravitate Inquisitori inscripta fuit; in illa Pontifex Prædicationis officium Lailliero interdicit, simulque eidem Coffartio, necnon Senonensi Archiepiscopo, atque Antistiti Meldensi causæ hujus discussionem committit, jubetque, ut reum in carceres conjicerent: Parisiensi autem Episcopo injungit, ut præfatis Præsulibus auxilium omne impendat, & suam Sanctitatem de modo, quo Laillierus errores suos revocavit, certiolem reddat. Altera Bulla die septima Decembris ejusdem anni dirigitur ad Decanum, Regentes ac Theologicæ Facultatis Parisiensis Magistros; in ea Pontifex fidei studium, quo illi flagrabant, commendat, & adversus Laillierum gesta comprobat, prohibetque, ne eundem ad gradum Magisterii admitterent; sententiam vero Parisiensis

siensis Episcopi nullam, irritamque de-
 clarat; & quoniam, inquit summus Pon-
 tifex, hæc omnia fidem tangunt, estque in
 Ecclesia res præcipua. & unica, intendi-
 musque prædictum Joannem merita profe-
 qui castigatione, vobis præcipimus, & man-
 damus, ut visis præsentibus vos, & vene-
 rables Fratres Senonensis Archiepiscopus,
 & Meldensis Episcopus eum capiatis, &
 nostra auctoritate conjiciatis in carceres Epi-
 scopi Parisiensis, aut in quoscunque alios,
 ubi vobis bene videbitur custodiendus. Hu-
 jus tamen causæ exitus, ac successus in
 tabulis, in quibus ejusmodi censuræ anno-
 tari solent, haud reperitur.

§. XXXVIII.

*Censura Propositionum Joannis Mer-
 catoris Ord. Minorum observantium.*

Sub idem tempus quidam Monachus *Argentor.*
 Ordinis Minorum nomine Joannes *coll. jud.*
 Mercator, cum plurimas propositiones *p. 318.*
 omnino temerarias ac ridiculas de præ- *Dupin. Bibl.*
 rogativis S. Francisci Assisinas prædi- *tom. 12. in 4.*
 casset, idem cum Lailliero fatum subiit; *p. 148.*
 proferamus igitur duodecim illas propo- *Ex 1. regist.*
 sitiones ac censuras, quibus illæ die sex- *MS. censur.*
 ta Aprilis ejusdem anni a Facultate Theo- *Facul. Paris.*
 logica notatæ fuerunt, ac in tabulis Pa-
 risiensis Theologicæ Facultatis leguntur.